

0. 77 von 3

ms









DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,

*Ad L. unic. Cod.*

*De*

CONFESSIS.

Q V A M

Divina aspirante Gratia

EX

*Authoritate & Decreto*

MAGNIFICI, NOBILISSIMI ET AMPLIS-  
SIMI ICTORUM ORDINIS, IN ALMA HAC  
ET FLORENTISSIMA REIPUBLICÆ ARGEN-  
TINENSIS UNIVERSITATE.

*Pro summis in Vtroque Iure Honoribus & Pri-  
vilegiis Doctoralibus, rite consequendis,*

SOLENNI Eruditorum Examine

*submittit,*

JOHANNES LUDOVICUS SATTLERUS,  
Stuttgardia-Würtembergicus.

*Ad diem 23. Mens. April. horis locoque consuetis.*

—(o)—

ARGENTORATI,

Typis excudit SEBASTIAN-NICOLAUS HETSTEDT,

ANNO M DC LVII.

27 97.

1657 7.

Dep. IX.



79

*[Faint handwritten text]*







I. N. D. N. I. C.

**C**um duo homini præcipue in omnibus  
consideranda veniant, quorum alterum in invoca-  
tione Nominis Divini; Alterum in certo rerum  
gerendarum ordine consistat; Rectius hic & me factu-  
rum arbitror, si principium hujus meæ inangularis dispu-  
tationis quæro

— — in principio — —

— — — A quo — —

Principium capiunt omnia principia.

Quodq; progressus & exoptatos exitus, his tribuit actibus,  
quos ab ipso auspiciamus Nov. 80. 85. 109. pr. Tum demum  
enim bene universa geruntur & competenter, si principi-  
um cujusq; rei sit decens & amabile Deo, in pr. Nov. 6. Ne-  
que bono peraguntur exitu, quæ malo sunt inchoato  
principio, c. principatus i. q. i. quod & D. Paulus i. Cor. 10. v.  
31. monet; sive manducatis, sive Aliquid aliud facitis,  
hoc in nomine Domini nostri Iesu Christi facite, in quo  
vivimus, movemur & sumus c. non observetis dies 26, q.  
7. in fin. Ut cuncta igitur meliori modo procedant, feli-  
cioremq; sortiantur eventum, Te IEHOVA rogo, te pre-

— — sine te mortale peribit

Ingenium, vox raucescet, nil dulce sonabit.

Dirige tu mentem, rege linguam, Christe benigne

Auxilioque tuo, mitis adesse velis.

Cætera nunc quod attinet, cum exantlatis examinibus  
a No.



a Nobilissimo ac Amplissimo in celeberrima hac Vni-  
versitate Iurisconsultorum Collegio, pro summis in utro-  
que jure honoribus adipiscendis, disputandi mihi conce-  
deretur licentia, diu de themate aliquo deliberanti, placu-  
it ex aliis multis ob oculis versantibus materiis, præsen-  
tem hanc ad L. unic. Cod. de CONFESSIS præferre. Non  
quod nullæ adhuc selectiores essent in jure reperiendæ  
materiæ, sed ex ea potissimum causa, quia vix ulla in fo-  
rensi exercitatione, frequentior magisque celebris. Om-  
nium enim quæ quotidie frequentantur, & in iudicium  
deducuntur, sive sint Civilia, sive Criminalia, cardo in eo  
vertitur, an confiteatur reus id, de quo ipsi quæstio move-  
tur, nec ne: Habetque insuper præsens thema tantos ef-  
fectus (de quibus tamen suo loco dicturus) & utilitatem,  
ut & Imperiti Iuris eam deprehendere necesse habeant:  
Absque ulla igitur ulteriori commendatione, me ad Syn-  
theticam & consuetam hætenus tractationem, conver-  
to, observatoque causarum, effectuum, contrariorum, &  
affinium ordine, hisce paucis benevolum lectorem enixe  
rogo, si ipsi forsan minus in hac tractatione satisfecero,  
ut cuncta æquiores in partem interpretetur, eaque et-  
iam gravioribus impediens & detinentibus  
hætenus causis tribuat & adscribat.







## QVOD DEUS BENE VERTAT.

### Thef. I.

**N**aturam confessionis igitur, licito & consueto hactenus ordine ulterius observando l. 37. pr. C. de in off. test. consideraturus: consistit ea tum in generalioribus tum specialioribus: generalia concernenda veniunt quoad definitionem & divisionem: Definitio iterum vel est Nominis vel Rei: In definitione nominis tria nobis sunt spectanda, (1) nominis Etymologia (2) Synonymia & (3) denique Homonymia.

### Thef. II.

Quoad Etymologiam ut multa afferamus, operæ pretium non est, siquidem omnibus constat, esse vocabulum derivatum, compositum ex conjunctione CVM & verbo FATEOR: nec confiteri esse simpliciter fateri, sicut in Calepini Lexico reperitur, sed amplius aliquid denotare: Connotat enim id quod alius forte jam enunciarat, quasi dicas cum altero fateri: vel id fateri, quod ab aliis est quæsitum, quæ sententia Varro: lib. 5. ling. lat: sicut testatur Schard. in Lex: jur: verbo Confessi: seu verum agnoscere quod obicitur aut intenditur vid: Don: 28. comm. 1. & in l. 30. sciendum ad tit: de verb: oblig: it. 21. com. 1. p. m. 59.

### Thef. III.

Synonyma rariora sunt, nisi velimus admittere verba approbare, affirmare, asseverare, ex eo quod pro vero asseritur l. 14. C. de probat: & alia hujusmodi, it. pronunciare sive profiteri, nemini interim in obscuro est, quam longe unum ab altero in sua propria & genuina significatione distet, sicuti hoc apud Lexicographos satis deprehenditur: Cicero in orat: pro Man. profiteri adhuc plus esse quam confiteri notat: hic ergo, inquit, non solum confiteor,

A

verum



verum etiam profiteor : & pro Cæcinna : Ita confitetur ut non solum fateri, verum etiam profiteri videatur : Hinc professio solutæ pecuniæ in l. 14. C. de solut. v. l. 5. C. de testam: l. 29. §. 1. ff. de probat: l. 40 ff. de pact. ibique Gothofr. in not. l. 14. pr. & l. 15. C. de probat: & passim, ubi promiscue modo in hac, modo in alia significatione usurpantur.

Thef. IV.

Synonymiam denique excipit Homonymia, in qua consideratione vox confessionis aliquando judicialem, aliquando vero extrajudicialem denotat confessionem: Extrajudicialiter, aliquando sumitur pro qualicumque pronuntiatione adversum se facta, ut Quint. ait, declam 314. in Conventione vero pro Chirographo l. 40 §. 1. ff. de pact. l. 15. §. 9. ff. de re jud. aut sponsione l. 20. §. un. ff. de donat. quin & per Metonymiam adjuncti pro subjecto, denotat ipsam cautionem, l. 25. §. 4. in fin. de probat: Denique etiam intercessionem notare videtur in l. 23. §. 2. C. ad SCt. Vel. quanquam Gothofr. eumque secuti C. L. A. §. 2. h. t. n. i. etiam ibi cautionem intelligant: In hac nostra lege potissimum denotatur confessio judicialis, quam sic forte definire possumus.

Thef. V.

Quod sit litigantium in jure vel judicio de re controversa ultranea asseveratio: Generaliter alias definitur & dicitur confessio qualiscunque contra se facta pronuntiatio Quint. declam 314.

Thef. VI.

Dividitur in eam, quæ fit in jure, vel judicio, vel quæ fit Extrajudicialiter: *In jure fit* vel prævia solenni interrogatione l. 4. in f. ff. de inter. act. vel ultro. ab eo, qui bonam fidem agnoscit, *vel in iudicio*, sive ut hodie loquimur, lite jam contestata: Vtraque est, vel expressa & vera, quæ revera intercedit verbis vel literis: vel *Tacita & ficta*, quæ tacite declaratur vel fingitur l. 1. §. scientiam ff. de trib. act. l. 4. §. fin. junct. l. 5. & 6. ff. de his qui not. infam. Hækel. part. 6. pand. disp: 12. th. 4. aliud exemplum v. in l. 11. §. 4. ff. de interrog. act: quod tamē in criminalibus non procedit, Wes. ad hunc refert fugitivum quod scil. fugiens pro confesso habeatur: sed minus recte, licet interdum indicium faciat ad torturam Carpzov. tr. crim. 2. p. 3. q. 20. n. 41. non tamen sufficit ut tanquam confessus condemnetur: Hæc de Generalioribus.

Thef.





100

Thef. VII.

Specialia nobis exhibent & causas & effectus, in causis ante omnia occurrit *causa Efficiens remota* quam C.I.A. th. 4. h. t. constituit l. 12. tabb. & aequitatem naturalem, quod accipiendum est, non tam de confessione ipsa, & per se considerata, quam assumpto effectu. *Proxima*, est debitoris voluntas vel evidentia rei, atq; veritate conficta l. 16. C. de pœn. c. tua. §. ext. de cohabit. cler. & mulier. vel aliis objectis commota & compulsa ad confitendum. Wes. n. 3. h. t. C. I. A. th. 4. de confess.

Thef. VIII.

Neq; tamen cuiuslibet confessio statim ius facit, sed necesse est & requiritur, ut quis pro confesso habeatur, persona habilis & idonea, qualis est causæ dominus, item Major 25. annis, quia post hoc tempus demum virilem vigorem complent, nec facile ante rei suæ administratio iis committitur, quamvis bene suam rem gerentibus l. 1 §. 2 ff. de minor. Sed in pupillo tutoris auctoritatem exigimus inquit hic ICtus Vlpian. in l. 6. §. 5. ff. h. t. fac. t. t. de auct. tut. & cur. & l. 5. C. de iur. delib. quia sententia contra eum, absq; tutoris auctoritate, cum adversario suo consistentem, pronunciata, minime auctoritate iudicati nititur l. 1. C. qui leg. person. st. in jud. hab. vel non. l. 1. C. de fals. mon. Quod etiam in Minore curatorem habente statuimus, l. 1. ff. de min. §. 3. nam & hic absq; sui curatoris consensu, nec alienare quicquam, nec obligari potest, l. 3. C. de integ. restit. quamvis nonnulli DD. quod minorem attinet, eum ipso jure obligari ex confessione judiciali contendunt, utcunque etiam absente curatore sit confessus post Host. Spec. Bart. ideoque opus quoq; habere restitutione in integrum, secundum l. 6. §. 5. h. t. quod in iis casibus in quibus minor solus iudicium suscipere potest ab Host. in sum. n. 1. verbo Major, & Ludvv. Exerc. Iust. 3. th. 9. l. c. relatis admiserim: Interim breviter sic distinguens. Aut enim sunt infantes & plane fari vel confiteri nequeunt, horum confessio non valet, etiam cum tutoris auctoritate, quia nullus consensus est infantia. §. 9. inst. de inut. stip. qui tamen principaliter requiritur tanquam causa efficiens confessionis Bald in Lun. h. n. 23. Aut infante sunt maiores sive pupilli, qui etiam confiteri nequeunt l. 1. §. 3. ff. de min. & l. 3. C. de integ. rest. nisi accedente tutoris auctoritate l. 6. §. 5. h. t. quo tamen casu in integrum restituuntur

A 2

Lanf.





4.  
Lanfr. c. 7. n. 25. Aut denique puberes sunt, sive maiores 14. & minores 25. annis, tunc subdistingendum, an confessio emanata fuerit in iudicio in quo consistere potest, nec ne; priore casu, quoniam scilicet legitimam personam standi in iudicio habet, valet ipsius confessio, quoties scilicet res ad ipsum pupillum spectat, ut in actione populari l. 6. ff. de pop. act. junct. l. 5. ff. de oper. nov. nunt. in causa momentanea possessionis l. f. C. qui leg. pers. stand. in iud. in interdicto de libero homine exhibendo l. 3. §. 1. de lib. hom. exh. in causis spiritualibus & matrimonii aut connexis c. 3. ibique gloss. de iud. in sexto: Violatione thori proprii l. 15. §. 6. ff. ad l. Jul. de adult. ut & alia Criminali causa ipsum concernente l. 8. j. l. ii. de accus. in quibus sola minorennis confessio sufficit, Beust. l. de Spons. c. 22.

Posteriori vero casu, ubi personam standi in iudicio non habet, confessio ejus absque curatore ipso jure est invalida, æque ac pupilli, cum & ipse semper curatore ad litem indigeat §. 3. inst. de cur. Lanfr. d. c. 7. n. 20. cui tamen opinioni post alios Masc. concl. 371. n. 2. propter l. 6. §. pen. h. t. uti & supra monitum fuit, contrarius est, sed nos accipiendo istum textum de eo casu, quo confessio minoris ipso jure valet, puta si vel consensu curatoris in iudicio, vel extra iudicium fuerit facta, ipsius consequentiam negamus cum Vmm. process. disp. 13. th. 9. n. 40.

#### Thef. IX.

Nec minor disceptatio oritur circa confessionem procuratoris, tutoris vel curatoris, quorum Imperator noster conjunctim in l. 6. §. 3. & 4. ff. h. t. mentionem facit, quidam enim DD. valde sese opponunt sententiæ eorum qui plerique negant, confessionem ipsorum Principalibus vel Dominis causæ præjudicare: v. Wespar. h. n. 3. C. I. A. th. 4. n. 2. h. t. Vmm. d. disp. 13. th. 9. n. 39. Objiciendo nobis princip: l. non solum 39. ff. de procur. & l. 2. C. de jurei. propter calum. §. quod observari 2. quid enim juramento calumniæ & interrogationibus procuratores vexarentur, si ipsorum confessio non valeret, inquiunt. ad quæ Bart. in d. l. 6. §. 4. h. t. Bald. n. 30 C. h. t. Host. in d. sum. verbo Dominus causæ; & alii multis superflue respondent, quorsum etiam benevolum lectorem remitto. Nam si omnia in unum de hac questione essent conferenda, una vel altera pagina hic non sufficeret, rationem huius nobis Cynus. in l. un. C. h. t. n. 16. iuxta appositas novè distinctas opiniones sup-  
peditat



107

f.

peditat, inquit, ne sanctum quidem in cœlo fuisse, qui non in hac  
quæstione suam posuerit sententiam, sepositis igitur istis, commu-  
nem DD. distinctionem amplectens, dico, Aut procurator specia-  
le mandatum habet ad hoc, & confessio ejus omnino nocet Do-  
mino, arg. l. 20. de interr. in iur. fac. Aut non habet, & licet omnium  
bonorū procurator fuerit, tamen confessio eius Domino non no-  
cet d. l. 6. §. 4. h. t. Don. d. l. 28. Com. i. Perez. in præl. n. 12. c. olim 20. x  
de censib. quæ sententia quidem Vmm. d. th. 9. n. 30 displicet, qui  
existimat confessionem quoque procuratoris Dominis nocere,  
rationem adducit ex d. l. 9. §. 6 ff. de adm. tut. quia & ejusmodi perso-  
næ bonam fidem agnoscant. 2. hoc probat per c. ad hoc Deus i. x.  
ut lite non contest. c. suborta. 21. x. de re jud. & c. fin. x. h. t. ad quod  
ultimū tamen facilis esset responsio, si vellemus differentiam juris  
Civilis & Canonici, vel saltem causarum civilium & Ecclesiasticarū  
inducere, quod cum tamen nec Ritterh. nec alii fecerint merito o-  
mittimus. ad c. 21. vero responderi potest, interesse inter confessio-  
nem ultro factam, & eam quæ velut ex officii necessitate fuit extor-  
ta v. post Cyn. d. l. & alios Aug. Barb. in Coll. ad h. c. Mallem tamen  
dicere agi ibi de confessione Prælati Ecclesiæ, qui Ecclesiam ipsam  
repræsentat, adeoque tanquam administrator cum libera, longe  
majorem habere potestatem conf. c. cum causam. 62. x. de appellat.

Thes. X.

De Furioso: Mente capto & c. omnis disputatio frustranea  
est. Eorum enim nulla ratio habetur, etsi confiteri velint, quia  
ipsorum personæ judicii plane sunt incapaces, ita ut judicialem  
confessionem subire nequeant per l. 5. ff. de R. I. l. 2. §. 3. ff. de jur.  
Codicil. l. 9. §. 5. ff. de recept. arb. c. cum dilectus ult. x. de success. ab  
intest. & c. sicut x. de regul. & transeunt. ad rel. Host. in d. sum  
n. i. verbo sanæ mentis: Vmm. d. disp. 13. §. 9. n. 41. *quamvis in prodigo  
adhuc aliud sit dicendum; is enim omnia sua jura retinet donec  
à Magistratu ipsi interdicta sit administratio bonorum, & per sen-  
tentiam prodigus sit declaratus, quo demum casu eum nec con-  
fiteri posse asserimus per l. 18. ff. qui test. fac. l. 6. ff. de verb. obl.*  
Bald. in l. un. C. h. t. n. 24.

Thes. XI.

Valet autem ea demum confessio, quæ facta fuit (i.) *super re  
quæ in litem fuit vocata* sive ea Civilis, sive Criminalis sit, arg. l. 4. ff.  
A 2 h. t.



6.  
h. t. Vt enim sententia ferri debet super re certa in iudicium principaliter non obiter deducta, l. 3. 4. & t. t. C. de sent. quæ sin. cert. quant. profertur, ita etiam confessio, quippe quæ olim ut mox audiemus potissimum in iure fiebat, in quo nihil præter rem spectabatur, vel si in iudicio fieret, iudex causæ per formulam additus nihil ultra eandem admittebat, confer Hildrop. part. 3. de process. t. 17. n. II.

Thef. XII.

(2) *De re Verosimili, sive natura rei conveniente, alias naturæ contraria nullius erit momenti, quæ videtur esse sententia l. 13. junct. l. 14. ff. de interr. act. glos. & DD. ad l. un. C. h. t. qui n. fatetur liberum hominem servum esse suum, nihil confitetur & eiusmodi confessio est nulla, quia juri repugnat l. 13. ff. de interr. in jur. fac. aut si quis confiteatur filium suum esse, qui major est ætate, quia natura hoc non patitur §. 4. inst. de adopt. pro nulla habetur: vel confiteatur illum servum suum esse, qui ab hostibus captus est, quamvis enim ius postliminii habet, sius tñ. non est, dum ab hostibus detinetur l. si servus 16. ff. de interrog. in jur. fac. *alias parum interest An verum vel falsum fuerit confessus, idq; sive ad præparatoria iudicii, sive ad decisionem causæ spectet confessio, nam indistincte nocebit arg. l. 13. & 14. h. t. de interr. act. nec obst. l. 26. de Re jud. qua Br. & alii in contrarium moventur, loquitur enim de confessione extrajudiciali & iudicium facta ut recte Don. d. lib. c. 1. parum quoq; ad rem facit quando. in l. 3. ff. h. t. dicitur. Valere confessio rei legatæ quæ in rerum natura non fuerit, alia enim quæstio est de veritate existentia rei, & interpositi legati.**

Thef. XIII.

(3.) *De tali Negotio, quod ius non improbet arg. c. pactiones ult. x. de pact. exemplum habetur in eo, qui confitetur se fore mancipium Iudæi, quod tamen minime conceditur, quia ipsum ius hoc improbat l. 1. & 2. C. ne Christ. mancip. Iud. vel al. poss. Host. in d. sum. verbo aut ius improbet.*

Thef. XIV.

(4) *Vt valeant confessiones certum quoque continere debent. Certum enim confessus pro iudicato erit, incertum non erit l. certum 6. h. t. & quemadmodum sententia sine certa re & quantitate prolata non valet §. curare 32. inst. de act. t. t. C. de sent. quæ sine cert.*



7.

cert. quant. profer. sic nec confessio valere potest, quam si de re confessata appareat. Si quis tm. incertum sit confessus, quod declarari potest, puta se pecuniam debere, urgendus est, ut certam quantitatem confiteatur d. l. 6. §. i. h. Wes. h. t. n. 4. C. I. A. th. 5. n. 3. h. t. Vmm. d. disp. 13. th. 9. n. 42. quid vero si nihilominus certum confiteri nolit? arg. l. 11. §. 7. de interr. in iur. fact. pro confessio habendus erit, c. si post præstitum 2. de confes. in sexto. si confessio facta ei obesset, vel pro negato, si negatio ei obesset l. 142. ff. de R. I. quod etiam procedit si obscure vel incerto modo respondeat, nec iudicem certificare velit l. 11. §. 3. 4. 7. ff. de interr. in iur. fac. ubi & rationem hujus decisionis invenire licet Host. d. sum. verbo, certum quid.

Thef. XV.

(5) *Existentiæ rei, ut scil.* in Criminalibus imprimis etiam de corpore delicti constet l. 1. §. 17. ff. de quæst, v. g. interfectum esse hominem, necesse est cujus se eadem fecisse quis confiteatur l. 4. h. t. Wes. par. n. 4. h. t. hinc etiam impubes, vel genitalibus carens, vel naturaliter frigidus qn. confitetur se adulterium commisisse, non statim punitur, quia istud ob commissionis defectum, ne existere quidem potest c. quod sedem 2. ext. de frig. & malef. c. pueris 1. & c. referente nobis 2. ext. de del. puer. Nam si quis ultro de maleficio fateatur, non semper illi est habenda fides, deprehensum etenim est nonnullos metu, alios tædio vitæ, alios aliis de causis in se confessos fuisse d. l. 1. §. 27. fin. ff. de quæst. & hæc de objecto seu materia dixisse sufficiant.

Thef. XVI.

Sequitur FORMA confessionis, quæ vel legalis vel doctrinalis. Illa est vel interna vel externa, Interna respicit vel confitentem, vel adversarium, respectu confitentis, necesse est ut confiteatur quis (1.) SPONTE, non coactus, aut errans, aut affectibus percitus, c. si quandoque 1. 15. q. 6. l. 12. ff. quod met. causa Wes. parat. n. 5. h. t. Hldr. d. l. n. 23. quo casu vel verum vel falsum confitetur, aut dubitatur, quando continet verum, standum est confessioni, & nocet confitentis, r. si talis sit confessio, quæ posset interpretari in bonam partem ut c. cum dilecti 18. ext. de accus. secundo casu non est standum, quia confessio talis est contra naturam veri ut, l. 1. §. si quis ultro 27. ff. de quæstion. l. 6. ff. de appell. tertio quando dubitatur præsumendum erit vera confessum esse. l. 192. §. 1. ff. de R. I. nemo enim ita factuus





tuus præsumitur, quod contra se mentiatur l. veteris juris 13. C. arb. tut. quæritur hinc an confessio tormentis extorta valeat? quod negatur, nisi quis postea in eadem perseveraverit, ut post interventum unius diei & noctis idem confessus fuerit Lanfr. c. 7. n. 16. in fin. quod Vmm. plane non admittit, sed totum hoc quantum confessioni extortæ credendum sit, iudicis arbitrio committit d. disp. 13. th. 10. n. 45. Masc. de probat. conclus. 353. de qua quæstione tamen melius infra dicitur ubi de sine & effectu huius materiæ agitur.

Thef. XVII.

Respectu adversarii, ut fiat eo presente l. 6. §. 3. h. t. puta vel in persona vel per alium, quemadmodum enim iudicatum tantum inter presentes tenet l. de unoquoque 47. ff. de re jud. ita etiam confessio Perez. hic. n. 6. quod autem DD. adversarii acceptationem desiderent Hildrop. d. l. id ex praxi irrepsisse videtur, neque enim vel textus juris Civilis d. §. 3. vel iuris Canon. c. ult. extr. h. t. ab illis allegatus, hoc requisitum fovet. E. gratis invenitur, cum requisita præter legem nequaquam sint inducenda l. 8. ff. de publ. in rem act. Cynus in l. un. n. 7. h. t. quidem existimat, confessionem coram iudicio factam adversario absente vim iudicati habere, propter l. 13. §. 2. & 3. C. de iud. sed contrarium reperitur in l. 6 §. 3. h. t. Vbi expresse dicitur eiusmodi confessum pro iudicato habendum non esse, quem textum perperam per. di. l. 13. correctum putat. cum in ea nulla confessionis fiat mentio, sed hoc tantum dicitur parte altera contumaciter absente, nihilominus iudicem ad sententiam definitivam procedere posse, si ex actis de veritate rei constet: Et hæc communis DD. opinio teste Mascard. de probat. conclus. 347. n. 1. quod tamen varie limitant ut videre est est apud eund. d. l. Lanfr. d. c. 7. n. 31. ad hanc regulam quod confessio facta parte absente, etiam cum causa regulariter non noceat confitenti, per distinctionem quandam interesse putat, an confessio emanata sit in his, quæ dependent ex consensu duorum, & tunc factam parte absente sive in, sive extra iudicium non valere, an vero in his, quæ ex mera voluntate loquentis dependent, quo casu inquit, præiudicare confitenti plenissime, etiam absente parte, veluti in ratihabitione & aditione hereditatis & sim. il. v. gloss. in l. Pomponius 9. ff. de negot. gest. quæ etiam est sententia Bartoli in l. certum 6. §. si quis absent. 3. ff. de confess.

Thef.



103.

Thef. XVIII.

Ratione formæ externæ requiritur (3) etiam ad hoc, ut confessus pro iudicato habeatur, ut fiat in iure iudiciove, Ubi iudex magistratusque iudicandi causa consistere solet l. 56. ff. de re jud. l. un. C. de confes. l. 4. §. 1. ff. d. interr. in iur. fac. & quidem iudice ad tribunal, seu ut DD. loquuntur ad Bancum sedente, Host: in d. sum. verbo in iure: quamvis nobis dubitationem quandam involvere videantur ista verba ultima l. 4. §. 1. ff. de interr. act. ubi habetur, quod etiã domi vel in itinere iudice comprehenso hoc fieri possit, sed ad hanc obiectionem responsio peti potest ex glossa (eo minime attento, quod DD. Hotom (qui tamen a Cujac. ob id reprehenditur) & Pacius ex glossa ea verba negative legant, pro particula VEL, inserendo particulã NISI vel NON) quandò res plenam causæ cognitionem exigit, iudicem locum consuetum servare debere in examinando negotio l. 11. ff. de iust. & iur. quia ea de plano expediri non possunt l. 4. C. de dilat. ibique Gothof. l. y. & l. 9. §. 1. ff. de offic. proconf. l. 2. §. 1. ff. quis ordo in poss. seru. quæ vero causæ cognitionem non exigunt, & tantum ad præparatoria iudicii pertinent secundum dist. Cyn. in l. un. C. h. t. n. 4. ea etiam quolibet loco fieri posse, ut hic in d. l. 4. §. 1. ff. de interrog. in iur. fac. olim hæc duo in iure & in iudicio differebant, nam quædam in iure fiebat confessio, nempe vel tempore interrogationis, in iure facta, l. 13. 14. ff. de interr. act. vel tempore litis contestationis, de quo casu accipienda l. un. C. h. t. Vbi in iure tantum confessus pro iudicato habetur: Dissentit hic Hahn ad Wes. n. 1. negans eum satis ex l. 6. §. 3. h. probare, quod confessio in iure facta fuerit, conf. l. 56. de re jud. quædam autem fiebat in iudicio apud Pedaneum iudicem l. 4. §. 1. ff. de interr. act. quæ proprie judicialis confessio, vim habebat probationis, non sententiæ, qui enim coram Pedaneo confitetur, adhuc condemnandus est, in altera vero iudici non opus est sententia l. 74. de jud. Hæc tamen differentia, postquã ipsi Magistratus iudicare cœperunt sublata est. Hodie cum omnia iudicia eff. Quæ sint extraordinaria, fit confessio apud iudicẽ sive magistratũ ratione temporis, vel in ipsa litis contestatione vel in productis reliquis, & comparantur adhuc quæ coram Magistratu ante litem contestatam quis confitetur, iis, quæ in iure erant confessa, & loco sententiæ sunt, quia nulla adest hic lis, adeoque nec sententia: Confessa au-

B tem





rem post litem contestatam comparantur confessioni in iudicio facta, & sententia opus est, licet post Wes. Carpz. scribat, hodie nunquā pro iudicato haberi confessum, sed aliud in praxi obtinet.

Thef. XIX.

Respectu iudicis requiritur (4) *ut fiat coram suo competente iudice & presente*, nam coram incompetente iudicatus non habetur, l. 4. & t. t. C. si a non comp. iud. iud. esse dic. l. 24. C. de lib. caus. quod & apud Canonistas expeditum est. c. & si clerici 4. extr. de iud. Illa n. confessio quæ fit corā iudice incompetente, vim tantum extrajudicialis confessionis habet, Wes. n. 5. h. t. C. I. A. eod. n. 6. nisi in casu voluntariæ iurisdictionis quis consentiat in iudicem alienū, & sic, se alterius iurisdictioni subiiciat, quo casu ipsius confessio valet, & quia videtur in suo iure emissā per l. 2. ff. de offic. pro conf. ei & adversus eum ius quoq; dici potest. l. 14. ff. de iurisd. junct. l. 18. eod. Obiter hic incidit quæstio, de confessione corā arbitro emissā, an habeat scil. eundem effectū, ac si facta esset coram iudice competente? quæ ob varias DD. inter se dissentientium opiniones quodam modo difficilis apparet, quidam enim eorum distinguunt inter sententiam omologatam, vel non omologatam; alii inter arbitrum & arbitratores, alii interesse putant, an fuerit facta super eo, de quo compromitti potuit nec ne, cumque alii disputent an talis pro iudiciali vel extrajudiciali sit habenda, incertum faciunt lectorem, cui subscribat opinioni. de ea quidē quæ coram arbitratore fit, omnes conveniunt extrajudicialem tantum esse, nec vim iudicati habere, Masc. de probat. dict. concl. n. 15. quæ vero coram arbitro fit, eam pro iudiciali habendam verius est quia arbitria ad instar iudiciorum sunt redacta l. 1. de recept. arbit. & quæ coram arbitro confessā sunt, fidem etiam faciunt coram iudice l. pen. §. 2. in fin. C. de arbit. a qua etiam nec in foro discedendum, quamvis secundum Vmm. d. disp. 13. §. 9. n. 37. negantius opinio in puncto juris prævaleat.

Thef. XX.

Ratione modi requiritur (5) *ut fiat verbis expressis, vel factis iisque tum evidenter concludentibus, veluti pactorū & transactionū vel indirectis*, puta contumacia c. si post præstitū 2. de confess. in sexto.

Thef. XXI.

Tandem (6) requiritur etiam *ut fiat confessio cum adiectione causæ*



causa idonea, puta ex qua causa debitum quod petitur ortum habeat; Vtrum ex mutuo, Empto aliove contractu. Nam si causa nulla adjecta fuerit, confessio præjudicium confitenti non facit, arg. l. 25. in fin. de probat. & c. si cautio 14. extr. de fid. instr. It. si falsa causa ut generalis & incerta, ita ut intelligi nequeat, expressa sit. Masc. de probat. concl. 345. n. 4. *Excipitur confessio in iudicio vel ultima voluntate facta, item iuramento confirmata & liberatoria, quas etiam sine expressione causæ plenam fidem facere docet Lanf. d. l. n. 31. & seqq. Masc. d. concl. n. 26. quæ omnia Hostiensis tribus istis versiculis includere voluit.*

Maior, sponte, sciens, Dominus, pars, lis, sed & in se  
 Confessus, certum, compos, pro iudicæ, iure  
 Damnatur: nisi lex, favor, aut natura repugnet.

Thef. XXII.

Ex prædictis nunc communis cæterarum probationum finis resultat, ut videlicet veritas sine longioribus ambagibus eruatur, c. statuimus 1. ubi glos. & DD. de confess. in sexto. lites enim compendiose & quam brevissime decidendæ sunt. iuxta l. 12. C. de iudic. C. l. A. n. 7. h. t.

Thef. XXIII.

Effectus spectari possunt, tum ratione partium, tum iudicis, Partes sunt vel litigantes, vel personæ extraneæ.

Inter partes (1) confessus est spectandus, cuius intuitu hic effectus primus est, quod *confessionem iudicialiter factam revocare nemo possit* l. 29. §. 1. ff. de donat. l. un. C. h. t. l. 25. §. f. ff. de probat. l. 13. C. de non num. pec. nisi ex continenti c. præterea 7. de test. cog. Nam confessiones repentinæ calore forsan iracundiæ effusæ non obligant & statim revocari possunt, uti recte Wel. n. 7. h. t. docet. Panor. in c. venerabilis 6. n. 12. de except. quo & illud Quintil. pertinet §. inst. orat. c. 13. confessioe nihil contra confitentem peius esse, & quod Vlpianus in l. 56. ff. de re iud. post rem confessam perinde atque iudicatam nihil amplius quæri. Volunt tamen DD. id mitigatum esse iure Canonico, quo confessionem liceat revocare eodem die. C. I. A. §. 8. n. 7. h. t. Primo per c. cum causam 62. ext. d. appel. secundo per cap. si adversus 2. de restit. in integ. in sexto. Cæterum c. 62. specificè loquitur de confessione non ipsius Principalis, sed advocati, cuius sane ad confitendum minime instructi,





confessio nullatenus principali potest præiudicare, perinde ut nec error l. 3. C. de error. advoc. ita etiam c. 2. (1) agit de favore Ecclesie (2) de confessione per errorem facta, de quo infra latius erit dicendum, ubi de contrariis agitur.

## Thes. XXIV.

Alter ratione ipsius confitentis effectus est. Ut confessus pro iudicato habeatur & quodammodo sua sententia damnetur. l. 1. 3. 6. pr. §. 2. h. t. l. C. h. t. utpote qui vinci voluit l. 1. §. 7. ff. si quid in fr. pat. Wes. n. 7. h. t. eumque sequuti, hodie nunquam pro iudicato haberi confessum scribant, tamen aliud obtinet in praxi, uti & supra monitum, add. Vm. dict. disp. 13. th. II. n. 50. adeo ut nec appellare regulariter possit l. 2. C. quorum appell. non recip. nisi confessionem tempestive revocaverit. Hildrop. d. t. 17. p. 593. n. 12 seq. Vnde recte quæri potest: An ergo in confessum ferenda sit sententia? Ad quam prima fronte responderi posse videtur, interesse, an confessio super tota lite, an vero parte eius sit facta, quoad partem litis, confessio loco probationis sufficientis habetur, adeo ut hæc probatio reliquas omnes superet secundum Lanf. d. c. 7. Masc. de probat. in proem. q. 7. n. 3. *altero casu* quando super tota lite confessio emanat, confessum pro iudicato haberi, ita ut ne sententia quidem condemnatoria requiratur, si ante litem contestatam debitum petum agnoverit, Verum hæc sententia Donell. 28. com. 1. in verb. pro iudicatis displicet, contendens ipsum simpliciter condemnandum esse, sive ante, sive post litem contestatam confessus fuerit per l. 3. & 5. h. t. cui & Cuias. assentit in par C. h. t. de quibus tamen quia hæc ad officium iudicis potius pertinent, mox aliquid amplius sumus dicturi, si paucis eam partem quæ secundum supra præfatum ordinem, de partibus adhuc restat, absolverimus.

## Thes. XXV.

Consideravimus autem hætenus ipsum confessum, sequitur nunc ut subiiciamus aliquid etiam de ipsius adversario, cuius intuitu, *confessio vim dicitur habere plenissimæ probationis* l. 5. C. de transfact. ibique not. Gothof. l. 8. eoque sensu maxime prodest adversario confessio ut not. Wes. h. n. f. ita ut facta in uno iudicio etiam proficiat in alio, l. iubemus 41. C. de libi. causa. eique certis casibus actio in factum inde competat. l. 23. §. f. & seqq. ff. ad Leg. Aq. Vm. d. disp. 13. n. 51.

Thes.



<sup>13.</sup>  
Thes. XXVI.

Respectu Extraneorum, Confessio non praeiudicat aliis l. 11. §. 1. de interrog. in iur. fac. l. 7. C. de probat, nisi causam a confitente habeant, Perez hic n. 4. Unde etiam in Criminalibus constitutum: Confessum super sociis, non esse inquirendum, cum ea res periculo non vacet l. ult. C. de accus. sed ei magnopere gravato purgatio iniungenda c. 1. extr. de Confess.

Thes. XXVII.

Hæc de partibus quoad iudicem in genere tenendum, post confessionem factam in iure nullas amplius esse partes iudicis l. 23. §. f. ff. ad Leg. Aquil. quoad scil. causæ cognitionem, quia opus non est ubi reus debitum legitime confessus est arg. l. 40. ff. de pact. sed quoad condemnationem quæ semper necessaria videtur, quæ quia in quæstione supra th. 24. proposita, non satis deducta videbantur, ulteriorem nunc hic desiderant explanationem. Cuiac. in recit. C. h. in confessione in iudicio facta sententiam requirit, quia probationis loco est, verba ipsius sunt, Confessionem, quæ fiat extra ius pro iudicato non haberi nisi in casu Nov. 90. c. 2. & 3. Plerique DD. ad ordinem veterum iudiciorum non satis attendentes, multifariis distinctionibus ad hoc responderunt, ex quibus vix quisquam se extricari posse videtur, nisi iudicia civilia discernat a Criminalibus: In Civilibus quidam negant quod sit ferenda sententia propter l. 25. §. f. ff. ad L. Aquil. quia nullæ sunt partes iudicis in confitentem: Alii contrarium tenent ex l. 3. 4. 5. ff. h. t. & l. 9. C. de exec. rei jud. sed responsionis loco hic notandum, aut iudex cognoscit de plano, nullo ei oblato libello, aut in figuram iudicii libello scil. oblato h. e. aut confessio ei fit ANTE vel POST litis contestationem. Priori casu si facta fuerit confessio, habet vim sententiæ l. un. C. h. t. l. 56. ff. de re jud. l. 6. §. f. ff. h. t. adeo ut in confessum si iudex de plano sine forma iudicii procedat, sententia postea non sit ferenda l. 6. §. f. ff. h. t. vid. Ar. Corv. Aphor in ius cum h. t. sed sufficit qualecunque præceptum de solvendo l. ult. ff. quot me. causa. Host. in d. sum. §. 7. h. t. vel, (si qua desideretur) æstimationis, ut in l. 3. ff. h. t. Post litis autem contestationem confessione facta condemnatoriam sententiam subsequi debere colligunt ex l. 5. ff. h. t. & ei adjuncta ratione, quod iudicium mutua semel litis contestatione contractum, sententia fini debeat l. 74. ff. de jud. l.

B 3

13. §. 3.





13. §. 3. ff. de vacat. mun. nisi ante rem iudicatam is, cum quo actum erat, satisfaciatur actori, quo casu officio iudicis convenit eum absolvere, licet in ea causa fuisset iudicii accipiendi tempore ut damnari deberet. §. f. inst. de perpet. & temp. act. quod optime confirmatur l. si debitori 21. ff. de jud.

*In Criminalibus* autem si confessio facta fuerit SPONTE, & ita quidem, ut in simul res serio acta & omnis poenitentiae via praclusa videatur, fieri debet sententia definitiva l. 5. ff. de cust. & exhib. reorum, quia talis ipsum indistincte obligat, ita ut confessionem factam revocare nequeat, sive verum sive falsum confessus sit, modo id quod confessus est neque juri neque naturae repugnet l. 4. l. 6. §. 2. de confess. nam confessio falsa scilicet prolata, semper praedicitur confitenti, sibi metipsum enim hoc imputet, praesertim si nulla fuerint tormenta adhibita, neque terribiles iudicis minae praedecelesere Bald. in l. un. C. h. t. n. 10. quia ex ore proprio condemnatur & justificatur c. nunc autem 7. dist. 21. aliud autem dicendum, si forsitan facta fuerit in tormentis, cujus effectus quod condemnari confessus nequeat, nisi post de novo, extra locum torturae, iterum confiteatur sollemniter, tunc enim ex hac condemnari potest. de qua Carpz. tr. Crim. late agit p. 3. q. 12. & sic perseverantia accesserit post tormenta remissa l. 1. §. Divus & §. f. si quis ultro ff. de quaest. omnis enim confessio, quae fit ex necessitate, fides non est, debet ergo in talibus non extorqueri, sed potius sponte profiteri, ut hoc eleganter docetur in c. si quandoque 1. 15. q. 6. *An autem is qui non revocat vel appellat perseverare intelligatur in sua confessione* videri potest ap. Bald. in l. un. C. h. t. n. 8. illud extra dubium est, quando quis post tormenta in continenti ad tribunal ductus, iterum confiteatur, quod paulo ante in ipsa tortura confessus fuerat, talem confessionem non valere, quia non solum praesumitur hoc efficere timor tormentorum, sed & ea quae in continenti fiunt ipsis actibus inesse credantur l. lecta 40. verbo dicebam ff. de rebus cred. Requirit ergo, ad hoc, Lanf. d. c. 7. n. 16 ut confessio talis facta valeat tanquam facta sponte ad tribunal post tormenta, ad minimum interventum unius diei & noctis: quae lectio non immerito Vmm. d. disp. 13. §. 10. n. 45. displicere videtur, qui totum hoc negotium iudicis arbitrio relinquit, in cuius motu & conscientia lex confidit, cum non praesumatur, quod sit immemor propriae salutis & iura-



& juramenti quod præstitit Deo & reipubl. l. f. C. ad L. Iul. repet.  
 Nam vita præcedens & indicia magnam partem conferunt, ad  
 præsumendum, quod quid est, inquit Bald. l. un. C. h. t. n. 9. qualia  
 autem & quot requirantur indicia, nostrum non est longius hic enar-  
 rare, videat de hoc benevolus lector Alex. consil. 65. vers: quod au-  
 tem indicia, ii. sufficit hic scire, quod *confessio emanata in tormentis*  
 nullis præcedentibus legitimis indiciis non valeat, ut not. glos. sing.  
 in l. maritus 20. ff. de quæst. junct. l. i. ff. eod. c. quæstionem, 59. 12. q.  
 2. Illud postremo non est omittendum, quod in *casu dubio* sponte  
 emanata præsumatur. Bald. d. l. un. C. h. t. n. 10. Lanf. d. c. 7. n. 18. hæc  
 in genere de giudice.

Thef. XXVIII.

In specie quoad iudicem, interest, an confessio facta sit in judi-  
 cio quod una sententia absolvitur, nec ne; *Priore casu tempora*  
*iudicari statim post ipsam confessionem cedunt* l. 6. §. f. h. t. quod in rea-  
 libus est decendum Nov 23. c. 1. in personalibus spatium quatuor  
 mensium c. quærenti 26. extr. de off. jud. deleg. l. 2. & 3. C. de Usur.  
 rei jud. quod tamen tempus nonnunquam personarum locorum-  
 que qualitate, & aliis circumstantiis consideratis arctari, extendiq;  
 a iudice potest c. quod ad consultationem 15. extr. de sent. & re  
 iud. l. 2. ff. de re iud. Wes. in par. de sent. & re iud. n. 8. & 9. Arnol.  
 Corv. aphor. iur. can. de execut. rei iud. in med. *Posteriore casu opus*  
*est vel ante sententiam* prævio arbitrio & iussu, ut in actionibus ar-  
 bitrariis, & tum indulgenda sunt confessio tempora ad restitu-  
 dum, & si res non restituatur, lis veniet æstimanda l. 6. §. 2. h. t. C. I.  
 A. 9. 7. n. 5. quod si vero confessus non restituat, reus ex confesso te-  
 netur l. 4. h. t. & dabitur arbiter l. 7. h. t. qui non quærit, an revera  
 res sit petitoris, aut ei debeatur, sive an principalis causa vera sit,  
 sed tantum an reus sit confessus l. 56. ff. de re iud. *post definitivam au-*  
*tem si desideretur æstimatio* in iudicio, tunc iudex nihil amplius in  
 principali quæstione inquirit, sed tantum damnum datum æsti-  
 mat, quæ æstimatio etiam post confessionem facienda l. 24. l. 25. §.  
 2. l. 26. ff. ad L. Aquil. C. I. A. 9. 7. n. 4. h. t. ET HÆC DE CONSENTANEIS.

Thef. XXIX.

Quoad contraria adversatur confessioni & eius effectui (1)  
 ERROR, Non enim fatetur qui errat, inquit ICTus Vlpianus in l.  
 2. ff. h. t. Est autem Error vel iuris vel facti, huius vicissim vel pro-  
 prii vel





prii vel alieni l. f. ff. pro suo. Wes. x. ff. de iur. & fact. ignor. n. 3. licet  
 n. confessionem rite factam per poenitentiam revocari non posse  
 dicatur l. un. C. h. t. illud tantum de errore iuris & facti proprii est  
 intelligendum, nec obstat quod in l. 8. ff. de iur. & fact. ign. dicitur, er-  
 rorem iuris in damnis rei suae amittendae non nocere, hic enim ca-  
 sus secundum Vmm. d. disp. 13. §. 10. n. 46. quo de damno rei amit-  
 tendae agitur, excipitur de regula, quae in l. 9. subseq. subicitur.  
 Quod etiam de errore facti proprii dicendum, qui cum non sit tole-  
 rabilis, nec cuiquam praetendendus l. 7. ff. ad SC. Vel. l. 13. §. 6. l. 19. §.  
 1. locat. l. 46. de acquir. her. l. 50. §. 2. de furt. confitenti semper pra-  
 iudicat. Host. in dict. sum. n. 4. verbo quid si confitetur quis fallum:  
 nisi ex singulari iuris beneficio ius ignorare alicui non noceat, de  
 quo C. I. A. de iur. & fact. ign. §. 4. fulius tractat: ut *minoribus* viginti  
 quinque annis ius ignorare permissum est, item *fæminis* in qui-  
 busdam causis propter sexus infirmitatem, Paulus in l. 9. ff. de iur.  
 & fact. ign. l. 11. C. eod. & *militibus* l. 1. C. eod. *Aliud autem erit circa*  
*factum alienum*, ibi enim habet locum illud, quod Neratius Ictus  
 in l. 5. in f. ff. pro suo dicit, in Alieni facti ignorantia tolerabilis est  
 error, & istiusmodi confessio iusto errore facta pro nulla habetur  
 Perez. in comm. C. h. n. 13. non enim fatetur, qui errat, id est in fa-  
 cto (scil.) alieno & iusto errore. l. 2. h. t. l. 11. §. 10. ff. de interr. act. c. ex  
 parte abbatis 3. extr. de confess. atque ita totum illud quicquid de  
 revocatione confessionis Hildr. & alii disserunt, accipiendum est  
 de confessione erronea, quarum exempla reperiuntur in l. 8. C. de  
 iur. ign. l. 1. C. de fals. causa adj. leg. l. 6. 13. 23. C. de solut. quae tamen  
 confessiones extra iudicium videntur C. I. A. §. 4. n. 3. h. t. non de ea,  
 quae sponte fit, licet error iuris intervenerit, nec obst. l. 7. h. t. in  
 verbis non debere eum absolvere, disting. enim inter quaestionem  
 An, & quis, vel quomodo, quod enim heres etiam per errorem fi-  
 deicommissum confessus absolvendus sit, id in fin. l. 7. aperte in-  
 dicatur. Interim superius negatum fuit, arbitrum à pratore da-  
 rum id posse, cum ille tantum ad cognoscendum datus sit an debe-  
 atur, non ad restituendum.

## Thes. XXX.

Adversatur (2) confessioni iudiciali, *Exceptio vis & Metus* si qui-  
 dem ea per vim & metum extorta probetur, quoquo enim modo  
 per metum aut fraudem, aut per vim aliquid extorquetur ad nul-  
 lum



lum ulli præjudicium vel nocumentum valet, c. si quandoque r. 15. q. 6. c. Lotharius 4. 31. q. 2. Modo fuerit talis, qui & in constantissimum quemque cadere potuit per l. 6. ff. quod met. causa, quod in spiritualibus sive matrimonialibus expeditum, auth. sacramenta puberum C. si. advers. vend. l. 13. C. de transact. c. de muliere 6. c. cum locum 14. c. veniens 15. extr. desponsal. Verum de iure Civili, cum etiam qui vi, metuve cogitur consentiat l. 21. §. 5 ff. quod met. causa, dum eligit ex duobus malis, quod minimum est, & mavult aliquid facere, quam gravius pati, aliud obrinet, ideo contractus metu factus jure Civili quasi consensu initus valet, arg. §. 1. inst. de Except. l. 4. 5. C. de inut. stip. l. 21. §. 5. ff. quod met. causa, quo casu illud Aristotelis in l. 3. Eth. verum, Voluntatem coactam etiam esse voluntatem, fac. c. merito r. 15. q. 1. c. displicet 38. 23. q. 4. unde non immerito queritur, *An confessio in Carcere, quasi iusto metu facta valeat?* Bald. in d. l. un. C. de confess. n. 13. in negativam partem cum gloss. l. pen. ff. quod met. causa. abire videtur, ego potius hic distinguendum esse censeo, inter Carceres illicitos & privatos, & publicos licitos, allegata lex penult. ff. quod met. causa, de prioribus est accipienda, & sic quicquid quis confitetur in utilitatem scil. incarcerantis, recte negatur valere; quando vero quaestio concipitur de publicis & licitis carceribus, tunc rectius cum Wes. tit. quod met. causa n. 3. subdistinguiamus, Interesse scil. an digne vel injuste quis sit incarceratus, priore casu affirmativa tenet: quia hunc ipse sibi metum fecit l. 3. 21. ff. l. 10. C. quod met. causa. si vero indigne, neganda erit quaestio, nam Magistratus vim injustam inferens, pro privato habetur l. 32. ff. de injur. l. 170. ff. de R. I.

## Thes. XXXI.

Ratione causæ subjectivæ (3) *Confessio procuratoris vel Syndici non officit principali.* Ant. Fab, in Cod. h. defin. 4. l. 6. §. 4. h. t. nisi nominatim illis ea confessio demandata sit, & sic speciale ad hoc mandatum habeant l. qui servum 20. ff. de interr. act. l. 25. §. 1. ff. ad Leg. Aquil. l. 1. §. 2. ff. si quis ius dic: non obt. eoque casu absque ulla fraude confiteantur, Nam qui alteri generalem administrationem omnium bonorum mandat, eamque ratam atque firmam se habiturum promittit, non ulterius ipsi demandare videtur, quam ut res bona fide geratur l. 60. §. 3. ff. mand. quod si fraus admilla intelligitur, confessio ipsius absq; secuta rati habitione domino non

C

praju-



præjudicat, sed ipsi defensori. l. 9. §. 4. ff. de interr. act. l. 1. §. 2. ff. si quis ius dic. non obt. In procuratore autem generale mandatū habens insuper est videndum, an res adhuc sit integra nec ne: quando confessus est, lite nondum contestata, ipsius confessio domino non præjudicat l. 6. §. 4. h. t. gloss. in l. 25. §. 1. ff. ad L. Aquil. si vero cœptum jam fuerit iudicium nocet domino l. 39. ff. de procur. l. 9. §. 5. ff. de adm. tut. l. 17. §. 3. ff. de iurei. Confessio enim eiusmodi & sententia paribus passibus ambulant, l. 56. ff. de re iud. nisi dominus in continenti velit probare contrarium confessionis confitentis c. subortata. 21. extr. de sent. & re jud. Cyn. in l. un. n. 16. C. h. t. Elegans nobis hic occurrit quæstio, de duobus procuratoribus constitutis, quorum alter confitetur, alter negat, cuiusnam dicto sit standum? Inveniuntur qui argum. l. 47. ff. de obl. & act. dicunt amplectendam esse confessionem quæ pro domino est, alii contrarium elicere conantur ex l. 11. §. 1. ff. de interr. act. faciliorem nobis responsionem præbent leges, quæ iudicem informant, ne plures procuratores admittat. l. decreto 24. §. 1. ff. de adm. tut. Hinc secundum textum idoneior, seu magis idoneus ad agendum a iudice erit eligendus l. 2. ff. de pop. act. l. 16. ff. de accus. si vero certa quadam de causa admissi sunt, ea erit præferenda confessio, quam rei magis aptiorem & vero proximior esse iudex compererit l. 21. §. 3. ff. de test. quod si neq; a iudice, neq; ex actis discerni adhuc queat, favorabiliores esse videntur leges pro reo, quam pro actore l. 48. ff. de obl. & act. l. 125. ff. de R. I. quæ distinctio & eo casu locū habet, quando ambo vel omnes litæ in solidū sunt contestati l. 31. §. 1. jun. 32. ff. de proc. alias concursu, faciunt sibi partes iudicii & officii l. 1. C. si plur. un. sent. cond. sunt.

## Thef. XXXII.

*Item Minor ipse restituitur contra personam suam, si improvide aliquid fuerit confessus l. 6. §. 5. ff. h. t. qui §. cum indistincte proponatur, indistincte etiam de omnibus iis casibus in quibus minor restitui solet, & debet accipiendus est, neque hic opus repetitione eorum quæ supra θ. 7. fuerunt adducta, an scil. in iudicio fuerit facta nec ne, an cum curatore vel absque eo, supervacaneam quoque eorum disceptationem esse existimo, qui mire se torquent, an valeat minoris confessio, vel ipso iure sit nulla: eo enim unico ab Imperatore Iustiniano hic secundum suam innatam consuetudinem eleganter usurpato vocabulo, RESTITUEMUS omnes hasce*

motas



motas controversias sopiri nos posse non videtur difficile, quando enim ipso jure esset nulla ipsius confessio, & is ex ea non obligaretur, nulla quoque opus esset restitutione. Pac. in Anal. Cod. de fideiuf. min. Nam restituere est aliquid reddere, seu in pristinum statum reponere, hinc necesse ut aliqua res vel causa h. e. obligatio subsit, quæ per in integrum restitutionem annihilanda veniat, Wes. de in int rest. n. 5. l. 22. 75. 81. 246. §. f. ff. de V. S. l. 38. §. 4. ff. de Vsur l. 20. 68. ff. de Rei Vend. alias nimis superflue uteretur Vlpianus vocabulo hoc Restituendi in h. l. 6. §. 5. quo tamen tam accurate differentiam hanc exprimere voluit, confessionem scil. pupilli ipso jure nullam esse absque tutoris autoritate, Minoris autem sive habeat sive non habeat, valere quidem, sed quia fragile admodum & infirmum huiusmodi ætatis consilium l. 1. ff. de minor. Prætorum eis rursus beneficio hocce restitutionis subvenire, & adversus istiusmodi captiones atque læsiones, opitulationem polliceri, quam omni minoris ætatis tempore petere possent l. 2. & 3. C. de temp. in integr. restit. parum quoque movemur l. 45. & 54. ff. de re iud. ubi dicitur, quod sententia in minorem lata, ipso iure sit nulla, notandum enim hic venit, quod talis confessus potius ex propria ipsius confessione obligetur, quam sententia iudicis.

Thef. XXXIII.

Ratione objecti contrariatur (4.) confessioni omne id quod iuri aut natura repugnat, ad hoc enim ut præjudicent falsæ confessiones, requiritur naturalium convenientia l. 13. ff. de interr. act. alias sicut impossibile nulla obligatio l. 185. l. 135. ff. de R. F. nec eorum quoque quæ contra leges ulla sententia firma atque valida. c. pactiones, ult. extr. de pact. sic nec confessio valere potest l. 14. ff. de inter. in jur. fac. Vmm. d. disp. 13. §. 20. n. 43. merito etiam talia monstrosis comparantur ab Host. in d. sum. verbo vel natura: exempla reperies supra §. II. allata. Quin & secundo favor cause aliquando efficit, ut confessio non præiudicet, nempe in matrimonio publice contracto non sic attenditur confessio contraria, c. ex literis 5. extr. de divort & c. super eo 5. extr. de eo qui cogn. consang. ux. Hakelm. p. 3. disp. 12. §. II.

Thef. XXXIV.

Denique ratione causæ formalis (5) Revocatio tempestive & legitime facta non præiudicat, uti dictum ex Hildr. d. t. 17. n. ult. c. cum causam





causam 62. extr. de appell. c. si. adversus 2. de in integr. rest. in sexto  
l. 11. §. f. ff. de interr. act. & qualidet confessio, etiam absque errore  
probato, in continenti revocari potest. Vmm. d. disp. 13. §. 11. n. 53.  
ut & ea, quæ per tormenta est expressa l. 2. C. quorum appell. non  
recip. ibi, aut formidine tormentorum territus. Hackelm. d. disp.  
11. thes. 12.

## Thes. XXXV.

Quod affinia attinet i. e. *Confessiones extrajudiciales*, sunt eæ  
vel Politicæ vel Ecclesiasticæ: *Illæ* vel verbis vel factis designantur,  
*verbis* vel inter vivos, vel mortis causa: *Inter vivos*, adversario vel  
*absente vel præsentem: quæ sit adversario absente*, effectum quidem ac-  
tionis aut Exceptionis non habet, C. I. A. th. 9. n. 2. præsumptionis  
tamen & semiplenæ probationis vim obtinet c. 14. extr. de fid. instr.  
post Zoës. Perez. l. 1. n. 16. *Si præsentem adversario facta sit*, eæ confes-  
sio tendit vel ad liberandum, vel obligandum. *Ad liberandum* v. g.  
si quis confiteatur sibi ab adversario satisfactum esse, hæc confes-  
sio plene probat, & effectum liberationis producit l. 40. ff. de pact.  
Hildrop. d. t. c. 5. p. 597. n. 2. *Si ad obligandum tendat*, interest an  
fiat in Scriptis, an viva voce, *in Scriptis* fit confessio vel cum causæ  
expressione, vel sine causæ expressione; *priore casu* plene probat  
contra scribentem l. 26. §. f. de pos. c. si cautio. 14. extr. de fid. instrum.  
Cujac. in comm. Cod. de probat. p. 265. *Posteriore casu* si non addi-  
tum sit, ex qua causâ debitum fuerit contractum v. g. Mutui, depo-  
siti, Empti, tunc confessio tanquam indiscreta nequaquam valet  
l. cum de indebito 25. §. f. de probat. neque actio hinc utpote ex nu-  
do pacto oritur l. 7. §. 4. de pact. Hild. d. l. p. 597. n. 2. quemadmodum  
& alias dicimus, quod obligatio sine causæ adjectione non confir-  
mat vid. de pact. n. 5. & Wesf. de V. O. n. 3. & 12.

## Thes. XXXVI.

*Si solo verbo fiat confessio, citra scripturam*, interest an fiat ad-  
versario expresse acceptante, an non acceptante: *Priore casu* obli-  
gat confessio tanquam ex contractu seu constituto d. l. 25. §. ult. de  
probat. l. 13. C. de non num. pec. Gutierrez. part. 1. de juram. confir-  
mat. c. 54. n. 16. de *Posteriore vero casu* adversarii non acceptantis,  
putem accipiendam esse sententiam Baldi & sequacium: quod  
confessio non noceat confitenti, si non sit acceptata Gail. 1. observ.  
55. n. 8. nam confessionem judicialem etiam sine acceptatione adver-  
sarii



109

serii validam & obligatoriam esse supra diximus & communius  
est constitutum. Cephal. Tom. i. comm. opp. q. 16. p. 48. n. 3. & seqq.  
quod idem etiam dixerim vel DD. tradentibus de confessione (2)  
Geminata, nam & hanc judiciali comparant, Bart. Rom. & DD. alii  
apud Hackelm. d. disp. 12. th. 5. lit. q. Item (3.) de confessione jurata  
post Iasonem lit. H. id.

Thef. XXXVII.

*Confessio qua mortis causa fit, proponitur vel in Testamento,  
vel extra testamentum, In testamento, vel contra se quis confite-  
tur, vel pro se. Contra se vel ratione solutionis vel obligationis, ra-  
tione solutionis vel solutum sibi esse debitum, & hæc confessio li-  
berat debitorem eique dat Exceptionem ex testamento, si ab here-  
de conveniatur: & insuper actionem contra heredem, ut ab eo li-  
beretur. l. 1. & 4. C. de fals. causa adi. leg. Zoef. d. l. n. 18. & ex Perez.  
iterum ad verbum in C. h. n. 19. uti uterque etiam eandem ratio-  
nem habet, quod nemo inter imminentis fati angustias constitu-  
tus, immemor esse censeatur, salutis æternæ. l. ult. C. ad L. Iul. repet.  
vel confitetur, innoxios esse quos suspicio cædis sibi illatæ gravat  
l. 2. SCt. Silan.*

Thef. XXXVIII.

*Quod si respectu obligationis debitorem se quis Mævii v. g.  
testamento profiteatur, dist. est, an de causa debiti appareat,  
tum enim heredes haud dubie obligantur, cum debitum veluti  
per constitutum roboratum & confirmatum esse intelligatur,  
Perez. n. 10. maxime si confessio concernat male ablata, Zoef. n. 21.  
si vero de causa debiti non appareat, heredes non quidem obliga-  
buntur, tanquam ex causa bebiti, nisi asseveratio sub juramento  
accesserit l. 37. §. Codicillis §. in f. de leg. 3. l. 77. §. 23. de leg. 2. sed tan-  
quam ex causa fideicommissi l. 93. §. 1. de leg. 3. quod si quis in articulo  
mortis aliquid offerat pro se, v. g. Titium sibi debere, ista confessio  
non præjudicat creditoribus, si aliter se res habet in d. l. 6. C. de te-  
stam: quemadmodum nec illa, se Titio nihil debere, non præjudi-  
cat creditori, d. l. 6. sed aliquo casu heredibus mariti, nempe cum de  
dote confessata agitur l. 93. §. 1. de leg. 3. *Extra causam testamenti pro-  
fessio constituti in articulo mortis aliquam quidem pro ejusmodi  
confitente heredibus præsumptionem inducit, quod nemo eo  
tempore præsumatur mendacium dicere, & immemor esse salutis  
æternæ.**



æternæ l. f. C ad L. Iul. repet. Wes. h. n. ult. plenam tamen probationem non inducit, maxime in causis gravioribus l. 3. ad SC. filan. vid. lat. Mascard. concl. 355. n. 30. seqq.

Thef. XXXIX.

Emergit quædam confessio, vel saltem colligitur etiam ex factis, veluti fuga, & taciturnitate. Fuga totali vel particulari: *Totali* si plane reus e regione profugiat arg. l. 28. §. 1. de bon. libert. Wes. h. n. 5. Fugere enim eorum est l. 13. §. 2. C. de jud. *Particularis* fuga existit, cum se quis subducit e iudicio, vel ludificationibus dilationum iteratis, de qua in cap. 4. extr. de præsumpt. C. A. h. θ. ult. n. 9. vel perseverante contumacial. 7. §. 1. 2. 3. de susp. tut. *Taciturnitate*, si quis ea quæ ab adversa parte allegantur non ausit inficiari. arg. l. 1. §. 3. de trib. act. tum enim maxime locum habet regula, qui tacet consentire videtur l. 142. ff. de R. I. non item, si exceptione utatur l. 9. de Except.

Thef. XL.

Denique quærendum est etiam de confessione Ecclesiastica quæ in choro fit confessionario sc. sacerdoti, Hæc vero ut revelari non debet a sacerdotibus, cum non homini fiat, sed Deo. can. sacerdos 2. de pœnit. dist. 6. Far. qq. Crim. 47. n. 10. vid. ~~ad~~ ad L. Iul. Mai. θ. 30. ita si de facto fiat, nullum regulariter effectum debet sortiri, cap. si sacer. extr. de offic. ordin. Hackhelm. d. l. th. 10. nisi ipse confessus voluerit, aut promiserit secreti revelationem, vel aliæ deinceps probationes, concurrant. vid. eund. d. l. de auriculari vid. Nov. 141. c. 1.

DEO SIT LAUS, HONOR  
ET GLORIA,





170

Ad  
*Nobilissimum Candidatum Affinem*  
*amica ἀεσοφώνος.*

**C**onfessus est? damnatur ergo. nec male.

Confessio nam iudicata vim rei  
Tenere debet, facta coram iudice  
Aut testibus: si vis abesse cernitur  
Errorque, cum pars altera acceptaverit.

Debere quid te confiteris, & cui  
SATTLERE? nil debere te novi, nisi  
Illisce creditoribus, queis omnia  
Omnes libenter debeant, & gaudeant,  
Debere sese, confiteri perpetim.

Qui sic fatetur, sicque debet, dulcius  
Damnabitur, quàm sorte liberabitur.

Honoris & officii causa sc.

Io. Henr. Boeclerus

---

**A**lma Themis, mirata tuos, Sattlere, labores,  
Nunc, ait, o noster, gaudia mille fero,  
Hec de Confessis tua nam Confessio monstrat,  
Quæ mihi de Te sit spes, patriæque tuæ.

Præcellenti Dn. Candidato Affini ho-  
noratissimo gratulabundus scripsit

Joannes Ioachimus Frantz,  
Jur. Doctorandus.

---

Præcellenti & Clarissimo Dn. Joh. Ludo-  
vico Sattlero U. I. Candidato

S. P. D.

**D**onec eras nostris Laribus gratissimus hospes,  
SATTLERE, ô Themidis Prolyta chare tuæ,

Adverti & studium & studiorum semper amorem  
Sincero ex animo se exeruisse tuos.

Nec proles Semeles, nec lubrica Cypris honestas  
Et placidos mores commaculare tuos;

Turpia vitasti prudentius otia pigris,  
Quos ruditas vecors pauperiesque premit.

Quare



Quare ego tūm tantis cepi ex conatibus omen,  
Te fore, quem te nunc cernimus esse, virum,  
Moribus excultum, legum, jurisque peritum,  
Doctrinae & varias qui cumulavit opes.  
Iam nunc sublimes meritosque capeſſis honores,  
Quos exantlati cura laboris habet.  
Gratulor hos, dignamque tuis Virtutibus opto  
Et sortem, & quæ te recreet usque, Deam.

*Ex Veteri neceſſitudine l'm. q. scripſi*

M. Ioh. Matthias Schneüber, P.L.

Gymnaſiarcha Arg.

Ad Præcellentem atque Clarissimum

DN. CANDIDATVM. disputantem.

**H**icne tuus finis studiorum solus AMICE  
Hactenus in libris ſolaque cura fuit:  
Vt gladio armatus mitraque inſignis & auro  
DOCTORUM pleno poſſis honore frui?  
Non puto: quin alium Te finem querere calos  
Scrutantem docuit Mater amica Venus.  
Scilicet ardenti ſunt proxima ſidera LIBRÆ  
VIRGINIS, hic nexus numquid & omen habet?  
Auguror & pulchris clemens DEUS annuat auſis!  
Et mox SATLERUM caſta virago beer!

Ita vovet perſpectæ ſinceritatis Amico ſuo

Ioh. David Cummerell.

**C**Armen, amice, petis, mitto pro carmine votum,  
Ludere cum verſu Muſa rogata neget;  
Ingenioque Tuas, magno nunc oſe ferendas,  
Hæ chartæ laudes uberiore canant.  
Alma Themis, cuius dudum eſ pia caſtra ſecutus,  
Nunc meritis referat præmia digna Tuis.  
Præmia certatim referat, quò Te, precor, omnis  
Vndigue felicem conſiteatur homo!

ita meliore animo quam calamo voves

I. F. K.

**Q**uid quaſo in dubium ſat agis CONFESSA Vocare?  
CONFESSA nemo diſputat.  
Verum aliud, ſi deo, quaris SATLERE; Tibique  
Auſus probandos gratulor.  
Scilicet hoc agis, ut nuper conſeſſa Peritit,  
Nunc, Dea ſancta comprobent.

C. M. L.



ULB Halle  
003 882 810

3



(f) Sb


KDM7











B.I.G.

Farbkarte #13

DISPUTATIO INAUGURALIS  
JURIDICA,

*Ad L. unic. Cod.*

*De*

INFESSIS.

Q V A M

Divina aspirante Gratia

EX

*Authoritate & Decreto*

CI, NOBILISSIMI ET AMPLIS-  
DRUM ORDINIS, IN ALMA HAC  
SENTISSIMA REIPUBLICÆ ARGEN-  
TINENSIS UNIVERSITATE.

*in Vtroque Iure Honoribus & Pri-  
legiis Doctoralibus, rite consequendis,*

OLENNI Eruditorum Examini  
submittit,

ES LUDOVICUS SATTLERUS,  
Stuttgardia-Würtembergicus.

*die 23. Mens. April. horis locoque consuetis.*

ss(o)ss

ARGENTORATI,

perit SEBASTIAN-NICOLAUS HETSTEDT,

ANNO M DC LVII.

27 97.

1657 7.

*Dep. IX.*

12211111

